



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Compendium Qvæstionvm Regvlarivm R. admodum P.  
Emanuelis Roderici Lusitani, S. T. Lectoris Prou. S. Iacobi  
Reg. Obseru. Ordin. Mino. Diffinitoris**

**Rodrigues, Manuel**

**Lvgdvni, 1621**

S.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41743**

SEPULTURA. 379

missa, semper remaneat apud eorum  
Vicarios, & Vicariorum Vicarios.

q. 21. art. 9.

Ad usum Bullæ Cruciatæ requiri-  
tur in professis expressa Prælati li-  
cencia non tamen in Nouitiis ad  
quos non se extendit casuum refer-  
uatio, art. 10. & 11.

SEPULTURA.

Vide *Habitus, Parochus.*

**M**Orientes in habitu Ordinis ne-  
cessariò olim sepeliendi erant  
apud Fratres; hodie tamen libe-  
ram habent sepulturam vbiuis eli-  
gendi facultatem. tom. 3. quæst. 58.  
art. 5.

Prohibentur Clerici sæculares &  
Regulares sub pœna maledictionis  
æternæ, aliquem inducere ad vo-  
uendum, iurandum, & fide inter-  
posita, vel aliàs promittendum se  
electurum sepulturam in sua Eccle-  
sia; nec omnino valet talis ele-  
ctio, si fiat; vnde necessariò sunt  
sepeliendi in monumentis maio-  
rum suorum, aut in loco, quem  
priùs elegerant. Quòd si de facto  
Religiosi sepelierint; tenentur ad  
restitu

restitu

restitutionem corporis, si petatur; necnon omnium oblationum in exequiis factarum; aliàs ipso facto interdicto subiacent. *art. 7.*

Hæc constitutio cum sit pœnalis requirit, Primò, vt effectus sequatur. Secundò, vt persona inducens faciat non nomine proprio, sed totius communitatis. Tertiò, vt alliciat ad eligendum in sua Ecclesia, non in Ecclesia alterius Ordinis. Quartò, vt vere inducat; vnde exhortans solùm non incurrit eam censuram; non interueniente voto, iuramento, aut promissionem. *ibidem.*

Omnibus vtriusque sexus licitum est in habitu Fratrum Minorum sepeliri; nec id prohibere potest quisquam. Prælatorum sub pœna excommunicationis Papæ reseruata quam canonica monitione præmissa contrafacientes incurrunt. Hic autè habitus dandus est à Guardiano loci, aut eo solo cui ille commiserit; & indulti, deportandi sunt aperte sine vlllo tegumento, non obstante omni statuto, consuetudine aut præcepto Ordinariorum. *quæst.*

39. art. 1.

Professus necessario sepeliendus est in Monasterio ; Abbas vero , Nouitius , & Oblatus possunt alibi eligere sepulturam. *quest. 60. art. 1. & 2.*

Non tenetur Monasterium ad impensas sepulturæ Nouitij diuitis, sed eius hæredes. *art. 4.*

Monachus decedens propriarius, iure priuatus est sepultura Ecclesiastica. Quod intellige, si ante mortem præmonitus noluit resignare, vnde moriens cum bursa, inhumandus est in loco sacro, quia in dubio bene iudicandum, & præsumendum habuisse licentiam, aut voluntatem resignandi, sed ex obliuione, &c. non fecisse, quod fallit in Fratere Minore, apud quem si etiam minima pecuniæ quantitas inuenta fuerit, non est in loco sacro inhumandus. *q. 61. art. 1.*

Indignos Ecclesiastica sepultura iure potest Episcopus impedire, ne ad loca Fratrum exempta deferantur, non autem ipse intrare loca Fratrum, & iam humo (licet iniuste) mandata corpora extrahere, nisi defun-

ctus

Etus fuerit vsurarius manifestus, excommunicatus publicè, & nominatim interdictus: tunc enim iure potest. *art. 4.*

## SIMONIA.

*Vide Dispensare, Donare, Dos, No-  
uitus, Professio.*

## STATVTVM.

Statutum, est quod fit à communitate; præceptum à Superiore; illud valet morte Prouincialis, aut Generalis; hoc morte præcipientis finitur. *to. 1. q. 10. art. 1.*

Statutum Ordinis; v.g. Capituli generalis, non valet contra ius Canonicum; nec generale carens auctoritate Apostolica, contra illud quod habet. *art. 3. & 4.*

Pænale statutum volunt aliqui etiã obligare ad culpã, si talis pœna non subeatur; sed contrarium est verius, cùm in Religione pœnæ non semper debeant respicere culpas, sed saepe mortificationem. *art. 6.*

Omnes Moniales Fratribus Minoribus subditæ, tenentur acceptare statuta Ordinis etiam Prouincia

S V S P E N S I O. 383

cialia, pro ipsis edita. *art. 7.*

*Sixtus IV.* declaravit quod in Ordine Minorum nullum statutum, consuetudo, aut declaratio, etiam à Papa confirmata præter Regulam obligat ad mortale; quod etiam comprehendit declarat omnes & constitutiones Papales, nisi illæ sint omnibus Regularibus communes: non tamen extendit se ad post facienda, sed tantum ad ea quæ prius erant facta. *art. 8.*

Papa confirmans aliquod statutum, nunquam intendit relaxare sed semper reformare, aut saltem in observantia confirmare; aliàs nisi expressè dicat, talis confirmatio censenda est subreptitia, & nulla. *art. 9.*

S V C C E D E R E.

*Vide Hæres.*

S V S P E N S I O.

*Vide Abbatissa.*

**I**N his casibus regulares incur-  
runt à iure suspensionem. Pri-  
mò, prælati alienantes rem stabi-  
lem sine solennitate, & assensu  
Capitu

Capituli, aut Generalis. Secundò, Prælati submittentes bona immobilia, aut iura Ecclesiæ laicis sine Papæ licentia, & similiter ij qui Romæ existentes non denunciant eos qui hoc fecerint, Tertio, in ordine Mendicantium Prælatus admittens ad professionem ante annum probationis expletum. Quartò; prælatus, nisi damno satisfaciat intra mensem postquam fuerit requisitus, quod aliquis ex suis subditis intulit detrahendo de Prælatis Ecclesiæ. Quinto, Fratres qui sacris initiantur, absq; Reuerendis proprij Superioris. Sextò, Regularis vsurpans sibi decimas, nouales, &c. pertinentes ad Parochiam, vel aliam Ecclesiam, absque causa, & priuilegio: nisi requisitus intra vnum mensem desistat, & intra duos satisfaciat; si habeat administrationem, suspensus est ab officio, & beneficio; si autem non habeat, excommunicatur. Septimò, suspenduntur ab officio prædicationis omnes Religiosi, exceptis iis qui decimas recipiunt si requisiti à Pastoribus omittant scienter facere conscientiam

SUSPENSIO. 385

tiam sibi confitentibus de soluendis  
decimis ; & hoc quamdiu non fece-  
rint, si commoditatem habuerint.  
Octauò, qui venationi, aut aucupa-  
tioni clamorosæ cum canibus, &  
auibus ex proposito interfuerint  
contra *Clementinam primam Mona-*  
*chorum*, cuius meminit *Syluest. verbo*  
*suspensio, §. 6. versu 32.*

Nonò, Fratres Ordinis Prædica-  
torum promoti ad Episcopatum, vel  
alias Prælaturas, si antè recipiant  
consecrationem, quàm omnia quæ  
habebant tempore suæ promotio-  
nis, Ordini resignauerint, suspen-  
duntur ab executione Pontificaliū.  
Decimò, Fratres Prædicatores per-  
turbantes Fratres Minores in offi-  
cio Inquisitionis, aut è contrà, su-  
spenduntur ab executione sacrorum  
Ordinum, à solo Papa absoluendi,  
Vndecimò, Regulares retrahentes  
infirmum, aut alium volentem ali-  
quid legare Ecclesiæ Parochiali,  
aut Matrìci. Item & eorum Prælati,  
qui de damno resarciendo requisiti,  
intra vnū mensem non curant satis-  
facere, granissimas pœnas incurrūt.  
Duodecimo, Regulares admitten-

B b tes

tes intra claustra mulieres, suspensione à diuinis ligantur. Decimotertio, suspenduntur item Regulares, qui ex administratione Eucharistia, Extremæ Vnctionis, & solennificatione Matrimonij, aut quacumque absolute indebita aliquid acquirunt; nisi postquam fuerint requisiti intra mensem restituerint, donec satisfecerint. *tom. 3. q. 65. art. 2.*

Suspensio generaliter lata contra Regulares, comprehendit Prælatos, non tantum Conuentuales, sed etiam Prouinciales, & Generalem, quia in hoc non est eadem ratio eorum cum Episcopis, quorum suspensio multis affert detrimentum spirituale. *art. 5.*

## S C R V P V L V S.

Quomodo differat scrupulus à dubio, & quæ sint remedia contra scrupulos tam in generali, quam in particulari, *vide tom. 3. quæst. 66.*

## S T V D I V M.

*Vide Agere, Lectores, Ordo sacer.*

Solus Abbas sine consensu Conuentus, petito tamen consilio, potest

potest mittere Fratrem ex Monasterio ad studia. *tom. 3. q. 67. art. 1.*

Abbate autem eam licentiam recusante Monacho etiam sine causa, nequit eam concedere Episcopus. Non est prohibitum Regulari audire Canones, licet in adiumentum nonnullæ leges doceantur: bene autem leges ciuiles simpliciter. *art. 2.*

Sed quamuis non liceat eis studere legibus propter se, licet tamen propter commodiorem intelligentiam Canonum, ad quod maxime conducit legum cognitio. *art. 4.*

Imò probabile est, Legatum à latere, qui in leuibus venit nomine Sedis Apostolicæ, posse dispensare cum Regulari, vt audiat leges, & Physicam. *art. 5.*

Legatum relictum Fratri Minori, licet non valeat communiter, valet tamen relictum causa studij; quia censetur esse relictum ad pias causas. *art. 8.*

De scientia requisita, & necessaria Religiosis; & quomodo ipsis liceat studere Philosophiæ ad finem Theologiæ, vide *tom. 3. quest. 64. art. 5.*

## 388 TAVROR. AGITATIO.

Regularis dimisso habitu sine licentia audiens leges, aut Medicinam; & Doctor eum in scholis temerè detinens, & docens, ambo excommunicantur excommunicatione Papali, si tamen effectus sequatur: nam licèt Regularis sit eo animo egressus claustrò, si tamen mutet consilium, v. g. studeat licitis, neque ille, neque participans eam incurrunt, licèt aliam non euadant. *art. 3, & q. 64.*

## SYNDICVS.

*Vide Procurator.*

## TAVRORVM AGITATIO.

**O**lim constitutione *Pij V.* prohibebantur taurorum agitationibus interesse omnes Clerici, & Regulares etiam Feriatis diebus, & sine scandalo, sub excommunicatione ferenda; quam quidè *Clem. VIII.* relaxauit quoad Clericos, sed cōfirmavit quoad Regulares; vnde iam eis non licet quacunque intentione, sub peccato mortali. *to. 3. q. 68. ar. 2.*

Hoc præceptum se extendit etiã ad Canonicos Regulares, cùm fundetur